





DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA
QVA

3

SENECTVS

IPSA MORBVS

AVSPICE SVMMO NVMINE
EX CONSENSV ATQVE AVTORITATE
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN
ALMA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS MORE MAIORVM
RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. C.

D. *Maji MDCCXXXII.*
SISTITVR

QVAM
PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI
SVBIICIT

JACOBVS HVTTER,
CIBINIO-TRANSILVANVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IO, CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN AVGVRALES

MEDICA

DE VENTILATIONE
PULMONVM

AVGVRALES
DE VENTILATIONE
PULMONVM

DE VENTILATIONE
PULMONVM

DE VENTILATIONE
PULMONVM

DE VENTILATIONE
PULMONVM

AVGVRALES
DE VENTILATIONE
PULMONVM



EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO
DOMINO,
D O M I N O
STEPHANO WESSELENYI
LIBERO BARONI
DE HADAD.

SACRÆ CÆSARÆ REGIÆQUE CATHOLICÆ MAJE-
STATIS CONSIL. STATVS, VT ET IN TRANSYLVANIA INTIMO,
INCLYTORVM DOMINORVM DOMINORVM STATVVM, TABV-
LÆQUE IVDICIARIÆ REGIÆ TRANSYLVANÆ PRÆSIDI
ET COMITATVS MEDIOCRIS SZOLNOCK
SVPREMO COMITI

NEC NON

NEC NON
SPECTABILI AC GENEROSO
DOMINO

DN. SIMONI DE BAVSSNERN,

SAGRÆ CÆSARÆ REGIÆQUE CATHOLICÆ MAJE-
STATIS CONSIL. AVLICO TRANSYLVANO
ELECTO JVDICI REGIO CIVITATIS CIBINIENSIS
ET COMITI NATIONIS
SAXONICÆ

VT ET

SPECTABILI AC GENEROSO
DOMINO,

DN. MICHAËLI CZECKELIO
DE ROSENFELD,

CONSVLI CIVITATIS CIBINIENSIS
AMPLISSIMO

DOMINIS ET PATRONIS
SVIS GRATIOSISSIMIS

INAUGVRLEM HANC DISSERTATIONEM

humillima mente offert

AVTOR.



PROOEMIUM.



Nsignis hodiernorum & antiquiorum Philosophorum æque ac Medicorum quæstio torsit & exercuit ingenia: cur homini necessario moriendum sit? Diversi in diversas abierunt sententias. Recepta jam per aliquot secula ad hanc quæstionem fuit responsio, mortem homini idcirco necessariam esse, quoniam anima a corpore suo dissolvatur, quare & mortis natura in dissolutione animæ a corpore a multis Philosophis est collocata. Verum ubi urgetur ulterius, cur anima dissolvatur a corpore? nihil lucis ex antiquitus usurpata hac mortis definitione ad naturam ejus intelligendam derivari potest. Nonnulli cum Helmontio & afeclis flammulæ vitalis & calidi innati defectum pro causa allegarunt; quæ vero nihil præter puram vocem habet in recessu. Alii plus lucis

ex revelationis lumine hausturi respondent, constitutum esse ab Aeterno Numine, ut homo moriatur, ob fatalem protoplastorum lapsum; sed nec hinc, in quonam mors consistat, quispiam intelliget. Quibusdam placet animæ motus vitales administrantis languori & fastidio ulterius in corpus agendi id tribuere; sed longe nimis petita est ratio, & claro ac distincto conceptui penitus contraria. Quis enim credet, Deum T. O. M. animæ, seu naturæ humanæ eam vim concessisse, ut pro lubitu corpus morti exponere possit? annon hoc pacto quivis hominum *αὐτόχρηστος* habendus? cur, si habet hanc potestatem, non discedit anima a corpore in his, qui violentis suppliciiis morti traduntur, & qui mortem valde anxie expetunt? Sed ex quo fabrica corporis humani per solertiores anatonem accuratius lustrari, & in Philosophia nihil, quod claro conceptui repugnat, pro vero haberi cœpit, aliam & solidiorem mortis rationem reddendam esse, judicatum fuit. Præstitit id primus Illustris ac Celeberrimus Dn. FRIDER. HOFFMANNVS, Patronus ac Præceptor ad urnam colendus, & claram ac distinctam mortis explanationem exhibuit, ex qua ratio reddi etiam potest, cur homini absolute moriendum sit, & quomodo successu temporis ætas ipsa ad mortem disponat sine concursu ullius causæ violentæ & morbosæ. Ego cum in præsentiarum Inaugurali quodam specimine profectus meos in arte salutari sim declaraturus: minime inutile negotium suscipere me arbitratus sum, si *senectutis considerationem* eligerem, quæ via secundum ordinem naturæ est ad mortem, & affli-

ctio-

ctiones, quæ ex Senectutis vitio in corpus redun-
dant exponerem, causas vero, cur fiant, subjungerem.
Inductus sum vulgari illo proverbio, quod ipse jam
professus est Terentius: Senectus ipsa morbus est.
Sistam itaque in præsentiarum senectutem ipsam mor-
bum. Divinum autem Numen benedictione sua cœ-
lesti mihi adsit.

§. I.

TRactationis nostræ ordo exposcere videtur, ut cum
in præsentī Inaugurali Dissertatione de *Senectu-
te ipsa morbo* acturi simus; quid per Senectutem
intelligamus, deinde quomodo Senectus
morbus nominari possit, explicemus. Quantum itaque
ad Senectutem attinet, res est in vulgus adeo nota, ut
nulla opus habeat declaratione. Quis enim est, qui igno-
rat, per eam denotari hanc ætatem, in quæ vitæ finis secu-
dum ordinem naturæ imponitur. Nemo est, qui igno-
ret, vitæ nostræ curriculum ab ipsis antiquissimis etiam
Medicinæ Scriptoribus in certa intervalla distinctum fuisse.
Sic Hippocrates in Libro de ætate in diversas ætates vitam
humanam dispescit, & quamvis harum septenario an-
norum numero metitur. Nam in ejusdem fragmento ex
Philone Judæo hæc exstant verba: *In hominis natura sunt
septem tempora, quas ætates vocant: Infans, puer, adole-
scens, juvenis, vir, senior, senex: Infans est usque ad se-
ptem annos ad dentium amissionem; puer vero usque ad geni-
turæ ortum; adolescens usque ad barbe lanuginem ad ter-
septem; juvenis usque ad auctionem totius corporis ad qua-
ter septem; vir usque ad undecinguesimum ad septies
septem; senior usque ad quinquaginta sex ad septies octo;*
dein.

deinceps vero Senex est. Galenus vero in aliam abijt sententiam dum in Libro de tuenda sanitate Capite II. inquit: *ætates exquisito annorum numero alligari non possunt.* Re-
 jecta itaque hac Hippocratis distinctione in tres periodos vitæ humanæ spatium dispescit. Nam Libro II. de temperamenti Cap. 2. vitam hominis distinguit *in statum incrementi, vigoris, & decrementi.* Unde vero factum sit, ut ipsis Medicinæ patribus placuerit vitam humanam in certas ætates dividere, & quid per ætatem intelligendum sit, erudite exponit Cel. Verulamius Lib. III. Cap. X. de ætate inquit: *Dum ad extremum vitæ spatium homo contendit, plurimas mutationes necessario sustinet, has qui annorum spatiis & intervallis dimensi primum discreverunt, simul ætates appellarunt, ut sit ætas id vitæ curriculum, quo luculenter corporis constitutio per se suoque nitu mutatur.* Nos itaque eam ætatem hic per Senectutem intelligimus, quæ secundum Galeni sententiam status decrementi dicitur; secundum Hippocratem vero ab anno unde quinquagesimo numerari incipit & ad finem usque vitæ protrahitur. Fusius quoque & uberius hæc explicuit illustris Dominus Frid. Hoffmannus in Dissertatione de annorum Climactericorum rationali & medica explanatione.

§. II.

Cur Senectus morbus nominetur.

Cum vero jam mentem nostram exposuerimus, quid per senectutem intelligamus: e re est, ut quomodo, & cur senectutem morbum nominemus, declaremus. Sunt autem hæc verba: *Senectus ipsa morbus est, multæ & amplæ significationis.* Non enim dicitur, Senectus est morbosa, seu Senectus habet magnam ad morbos dispositionem,

nem, verum expressis verbis inquit: *Senectus ipsa morbus est.* Neque vero a vero hæc Terentii verba aberrant; cum in sequentibus sim ostensurus, quod sicuti morbus vires depascit, & functiones totius corporis pervertit; non secus ipsa senectus agit, & œconomiam motuum omnium turbat & impeditam efficit; quin causa per se est, cur homo moriatur.

§. III.

De Senectute autem tractaturis necesse est, ut eam cum Hippocrate Sect. I. aph. 13. in duas periodos dividamus; quarum prima non tanta virium debilitate & naturali imbecillitate secundum ordinarium naturæ cursum laborat; verum viribus adhuc tam animi, quam corporis pollet; altera vero virium tam animi quam corporis successivo decremento vitam molestat; illa viridis seu crudâ secundum quosdam appellatur, & ab anno quadragesimo nono ad climactericum magnum numeratur; hæc vero matura seu decrepita dicitur, & ab anno LXIII. ad vitæ terminum pergit. Quo minoribus vero sanitatis incommodis prior, si hac in ætate constituti congruo vitæ victusque regimine sibi ipsis consulant, premitur, eo majoribus pluribus & gravioribus afflictionibus posterior est obnoxia; & si de priori non semper, de posteriori verum perpetuo est Terentii effatum, quod *Senectus ipsa morbus sit.*

Senectus dividitur in duas periodos.

§. IV.

Hæc vero afflictiones, quæ Senectuti ex ætatis vitio sunt propriæ, non solum corpus humanum premunt; verum dispositionem imo causam subinde præbent, quo senectus variis morboſis etiam afflictionibus sit exposita.

Quo ordine in tractatione procedamus, ostenditur.

B

Hanc

Hanc itaque materiam hoc modo pertractare nobis visum fuit, ut primo loco recensamus eas afflictiones, quae Senectuti ex se & sua natura sunt propriae; & causas allegemus adaequatas, ex quibus hi effectus non possunt non consequi; secundo de iis affectionibus agemus, quae praeter naturam aetatem senilem infestant & morbos ita dictos senum constituunt; tertio autem therapeutica tractatione vel magis ex Hygieaenes fonte deprompta ostendemus, quomodo aetas senilis a morbis praeservari, & quomodo a senectutis etiam afflictionibus defendi per aliquot tempus senes possint. Non vero practicam unius cuiusque morbi pertractationem tempus & instituti scopus permittunt.

§. V.

Nunc ordo fert, ut incommoda senectutis, quae efficiunt, ut ipsa morbus sit, ac sine alia accedente causa morbosa eam divexant, enumerem. Antequam prolixiori tractatione id persequar, ostendam in compendio, quod Senectus omnino morbus sit, & instat morbi in corpus agat. Nullus enim morbus est, qui non actiones vel vitales, vel naturales, vel animales turbet, pervertat, deprimat, impediat. Quod Senectus pari modo in corpus agat, sequentes lineae docebunt. Primo recensenda sunt alterationes, quas motibus vitalibus inducit. Circulus itaque sanguinis vitae animalis principium in senectute est impeditior, tardior, ultimato vero plane languidus, hinc pulsus etiam si durus sit, tardus tamen percipitur; calor corporis multum deperditur, vires consumuntur, & deperduntur, motus systalticus & diastalticus, qui in omnibus canalibus viget, peristalticus quoque, & fibrarum etiam musculorum.

Senectus instat morbi agit in corpus.

Turbat actiones vitales.

musculosarum, elasticus seu tonicus debilitatur, & deperditur.

§. VI.

Transimus ad naturales a Medicis ita dictas functiones, quæ multum etiam in ætate senili depravatæ observantur. Notum est vitam nostram cum sanitate periculis exponi, nisi ingestiones, retentiones & egestionis legitime sint constitutæ. In senectute autem, etiam si adsit quædam ciborum appetentia, quæ vero sæpe languet, semper tamen multis incommodis laborabit ciborum solutio, digestio, & chyli elaboratio. Secretiones languent; excretiones imminuuntur præprimis, ea quæ fit modo insensibili per cutis colatorium. Potentia generandi deficit. Habitus corporis successive exsiccat, exarescit, & lento quasi igne depascitur, cutis durior, densior fit, & rugis exaratur. Somnus multum est laboriosus & interruptus, in quibusdam vero nimis nec vires tamen reficiens.

Turbat etiam naturales

§. VII.

Quod de vitalibus & naturalibus dictum est functionibus, id asserendum etiam de animalibus. Nam sensus omnes in senibus vigorem suum amittunt, quorum luculentum exemplum præbent sensus visus & auditus, qui multum in decrepita ætate imminuti deprehenduntur, quin non raro plane aboluntur. Motus voluntarius etiam difficilius exercetur, quoniam a minimo labore magnum virium experiuntur decrementum. Membra sæpe tremor occupat. Sed ætatis injuriæ non solum corpus humanum & ejus functiones alterant; verum animæ quoque facultates imminuit & alterat. Hinc memoria successive

est animalis.

decrefcit, ingenii vigor deperditur, & iudicii acies, decus
confiftenti aetati & in priori fenectutis gradu confiftutis
proprium obftupescit, & vigore fuo orbatur. Sunt hæc
præcipua illæ afflictiones, quæ fenex ex aetatis vitio fine
ullius caufa morbosa interventu experiuntur, quæ evi-
ctum fatis dant, quam verum fit dicitur: Senectus ipsa
morbus est. Has vero fenilis aetatis afflictiones eleganti
allegoria proponit facer codex apud Ecclcfiaft. Cap. ul-
timo.

§. VIII.

Recentuimus jam, ni fallor, varia & præcipua in-
commoda, quæ fenectuti ex fua natura & aetatis injuria ac-
cidunt, quæ in fenectute decrepita ordinario obfervantur.
Licet autem quædam fubjecta non obnoxia fint his affli-
ctionibus, id minimum veritatem fententia, quam hic fla-
tuimus, valet infringere; cum accedant tamen aetate ap-
propinquante, nec certum annum, cui propriæ fint hæc
ægritudines, affignemus; in aetate enim decrepita hæc ob-
fervari afferuimus & in hac omnino evenit femper, ut mo-
rtuum vitalium, naturalium & animalium exercitium fit
imminutum, quare necesse est, ut magnis mutationibus fit
expositus homo. Pulchre de hac re fcribit Seneca in Epift. 28.
*Nemo noftrum idem est in fenectute, qui fuit juvenis, nemo
mane, qui pridie, corpora noftra rapiuntur fluminum mare,
quicquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ vi-
demus, manet, ego ipfe, dum loquor ifta, mutatus fum.* Cor-
pus humanum tranfit ad perfectionem, tranfit etiam rurfus
ad interitum. Cum autem infigne illud veritarum omni-
um indagandarum principium rationis fufficientis in omni
fciencia memori femper mente tenendum fit; hinc ad no-
fram

*In aetate de-
crepita hæc
veniant.*

stram etiam tractationem referendum erit. Cum itaque vi hujus principii nullus motus, nulla mutatio, imo nihil fiat sine ratione sufficienti, hinc nec hæ, quæ in senibus observantur mutationes & alterationes contingunt sine causa, quæ potis est eas producere. Nostrum vero est hæc inquirere, quæ vera est & adæquata, harumque, turbarum rationem sufficientem d. clarare.

Ratio harum mutationum inquirenda est.

§. IX.

Causa vero mutationum harum non longe requirenda nobis venit, cum in propinquo sit, imo in uniuscujusq; sinu recondita, de qua eleganter Seneca i. e. inquit: *Indita corpori nostro est talis causa, cujus necessitate in viribus augetur, deficit, & etiam interit.* Corporis itaque, fabrica lustranda est ei, qui hoc in genere veras rationes reddere & ætatis vitia explicare allaborat, & quasnam ea mutationes progressu temporis subeat, & quænam hinc in totam vitæ animalis œconomiam alterationes redundent, attendenda. Nam hæc alterationem & mutationem ex necessitate subit, dum a variis causis corporeis diversis modis afficitur, & dum ipsa in se mutatur, quam si inspectam habuerimus, rationem quoque, cur corpora senum his afflictionibus sint obnoxia, invenimus.

Quæ in corporis fabrica reperitur.

§. X.

Vbi itaque, causa alleganda est, quæ in senili ætate corporis nostri vires frangit & debilitat; non meliori ratione id fieri posse scio, quam si causam ex solidis medicinarum rationalis principiiis inquireamus, quæ vires has producit, & sustentat in corpore sano. Sic enim facili negotio apparebit in defectu hujus causæ sitam esse etiam ra-

*Ex sanitatis
definitione
causæ, quæ
ipsam tur-
bant, facili
negotio in-
veniendæ
sunt.*

tionem, cur hæ cessent. Non meliori via id autem persicere me posse persuasus sum, quam si constitutam habeam veram & adequatam sanitatis definitionem. Vt enim ex vitæ definitione reali illico status & natura mortis elucescit: ita ex sanitatis definitione omnes, quæ ipsam turbant causæ, & per consequens hæ etiam, quæ senili ætati propriæ semper sunt, afflictiões, legitima connectione possunt deduci. Sanitas autem est vigor omnium functionum corporis nostri, dependens a solidorum convectione ac debito in omnes corporis partes influxu. Si itaque motus cordis & annexorum vasorum reciprocos systoles & diastoles est æquabilis; si fluidorum mixtio est talis, ut partibus gelatinosis, insipidis, spirituosis & terreis imo aqueis sufficienti in copia & proportione adequata sint prædita; si puri sunt humores & ab omnibus heterogeneis eminentibus partibus detecati; si datur liber sanguini per universas corporis partes aditus; si hæc omnia se habent moderate & ad naturæ ordinem: viget sanitas, adsunt vires integræ; quin omnes functiones in corpore fiunt legitime & sufficienter. Contra vero si solidorum motus vel debiliior, vel excitatior est, verbo si ab æquilibrio recedit; si humores vel in crasi vel in copia peccant: si fluida non possunt corporis partes singulas subintrare: contrarium evenit, & vita cum sanitate periclitantur.

§. XI.

*Ratio reddi-
tur, cur a-
ctiões vita-*

Vnde igitur actiones corporis nostri vitales imminutæ in senectute deprehenduntur? Ex Physiologia rationali & Mechanica notum est, harum actionum vigorem de-
pen-

pendere non solum a solidorum, per quæ canales, nervos, *les in sen-*
musculos, verbo omnes fibras elasticas intelligimus, *Etute sint de-*
venienti constitutione & structura, ita ut hæ nec nimis *pravata.*
flaccidæ, molles sint, nec nimis tenæ, duræ & rigidæ; ve-
rum etiam a sanguinis boni temperati sufficienti in partes
solidas influxu. Non vero hæ duæ causa sufficiunt ad mo-
tus vitales legitime præstandos, nisi simul accedat fluidi
subtilissimi atherei naturæ valde elasticæ, quod in cerebri
tubulis fecernitur, sufficiens & adæquata copia, & placida
ad partes solidas advectio. Si quis sit, qui de cau-
sarum harum efficacia ad motus vitales producendos du-
bitet, is adeat Illustris & Celeberrimi Domini Fr. Hoff-
manni Med. System. Ration. Tom. I. Lib. I. Sect. Cap. III.
de motuum vitalium causis. Cur ego minus huic proba-
tioni immorer, ratio est potissima, quod nihil melius
præstare possem, ac si integra Viri Illustris verba transferi-
berem. Constitutis itaque legitimis actionum vitalium
causis, cur hæ in senio vacillent, ratio reddenda est. Jam
autem experientia docet, fibras corporis nostri successive
indurari, rigidiores fieri, docet eadem, tubulos capillares
& poros collabi & obstrui. Probat id vulgare experi-
mentum, quo carnes juniorum animantium molliores
semper deprehenduntur, quam annosiorum, quod inter
alia Illustris Frid. Hoffmannus Med. System. Ration. Tom.
II. Cap. I. §. 24. in Scholio probavit. Vti id vero in cor-
poris habitu fibroso & musculofo per experientiam cla-
rum est: ita per analogiam non sine ratione de fibris cor-
dis & canalium asseritur, præsertim cum non rara sint ex-
empla, ubi arteriæ aortæ fibræ a cordis exitu vicinæ in
ætate provectioribus in vera ossa degenerari observentur.
Deest

Deest itaque in solidis naturalis & legitima ad motum e-
dendum dispositio, & quoniam ex digestionis vitio & se-
cretionibus ac excretionibus impeditis sanguis alienam
mixtionem & dispositionem induit; ubi etiam ob tubulos
subtilissimos in cerebro collapsos & obstructos fluidum
illud athereum & elasticum non satis secerni, consequen-
ter nec ad partes vigorandas advehi potest: hinc motus
vitales languent, & Circulus Sanguinis est tardior & im-
peditior. Quare autem pulsus in senibus est tardus? Fit
hoc ob circulum sanguinis tardiozem & languidiorzem. Du-
rus autem est ob fibrarum ex quibus arteria componun-
tur rigiditatem ac duritiem. Quoniam autem vires in
corpore fiunt a sanguinis & fluidi nervei sufficienti copia,
& naturali crasi, liberoque in partes solidas legitime etiam
constitutas influxu: hinc sublatis in senio his causis ipsæ
vires etiam deficiunt. Et quia circulus sanguinis est lan-
guidus, & vascula in habitu corporis minima, collapsa
ac obstructa: hinc sanguis ad partes externas in sufficienti
copia advehi non potest, quare calore etiam debito hæ
partes privantur, & frigida magis observantur. Motus
tonicus sive elasticus fibrarum etiam pendet a solidorum
mobilitate & structura legitima atque a sanguinis & fluidi
nervei sufficienti appulsu. Hæc vero requisita in ætate se-
nili cessare supra docuimus, quare & motus tonicus de-
pravatus in senibus deprehenditur.

*Cur natura-
les actiones
in corpore
senum lan-
guent.*

§. XII.

Pertractatis jam causis, quæ motuum vitalium fun-
ctiones turbant, facili negotio rationes reddendæ erunt,
cur actiones, quas medici naturales appellant, in senibus
muleis premanantur difficultatibus, imo cur denique plane
cessent,

cessent, quo efficiunt, ut vitales etiam motus brevi abo-
liantur & vita cum morte commutetur. Est enim machi-
na & fabrica corporis humani ita constructa, atque a Sa-
pientissimo Opifice ordinata, ut omnes in ea partes con-
sentiant, omnes motus conspirent, omnes actiones invi-
cem connexæ sint. Vnde & Hippocr. Lib. de alimentis
§. 4. dicit: *Confluxio una, conspiratio una & consentientia
omnia.* Hac sancitum est harmonia, ut motus naturales
dependeant a vitalibus, sed & vice versa alteratis moribus
naturalibus ipsæ etiam actiones vitales non rite in cor-
pore administrentur. Luculentum hujus rei exemplum
se offert in iis, qui ictero laborant, in his una moruum
naturalium species male est affecta, dum secretio bilis in
hepate non fit, & sublata est; quam varia tamen & gra-
via ex hac secretionem impedita in corpus redundant in-
commoda, iis satis cognitum est, qui aliquem ictero la-
borantem viderunt. Contra etiam sublatis ad tempus
motibus vitalibus, omnes in corpore actiones, ergo &
naturales cessant. Cum itaque in senibus illæ depravatæ
deprehendantur, conclusione facili elicimus has quoque
a naturali suo statu defletere.

§. XIII.

Cur itaque in senectute proveciori constitutis ap-
petitus est depravatus? Fit id ob robur stomachi de-
jectum, quod in causa est, cur iste multis eminentibus im-
puritatibus viscidis, mucidis ac biliosis sit obsessus, quæ
appetentiæ debita sunt insensissimi hostes. Sæpe vero
gravior subest causa, sed magis etiam formidolosa. Non
raro enim evenit ut in senectute decrepita non secus
ac in morbis chronicis viscus quoddam & ut plurimum

*Cur specia-
tim vacillet
appetitus.*

lien abeat in corruptionem, & tum omnis perit appetitus, estque hoc symptoma tam in prædictis morbis, quam in senibus a tali causa ortum mortis non multo post venturæ securum indicium. Interdum vero, si acidis & ponticis humoribus prima regio sit referta, nimium est valens appetitus, quod in his etiam contingit, qui malo hypochondriaco sunt obnoxii. Vitiatus appetitus alimentorum subactionem etiam depravatam indicat, quare vero ciborum solutio & digestio vacillet, videndum. Ad alimenta solvenda requiritur stomachi & intestinorum sufficiens robur, requiritur ad hunc usum etiam liquoris talivalis naturæ valde fermentantis, neque minus liquoris gastrici & pancreatici ac biliosi sufficiens copia & satis apta ad solvendam ciborum massam mixtio, non excluso potu etiam sufficienti. Sed quia in ætate provecioribus ob vires totius corporis labascentes ipsius quoque stomachi & intestinorum robur est dejectum, quoniam ob collapsos, quin obstructos tubulos subtilissimos in glandulis quæ secretioni salivæ, & succi pancreatici dicatæ sunt, liquorum horum copia sufficiens deficit quoniam ob hepatis idem vitium bilis adæquata copia ut & ob induratos minimos acinos glandulosos liquor in ventriculo fecerendus deest, ipsa etiam ciborum concoctio depravata sit, est necesse. Ex digestionem vero his de causis vitiata chylus etiam impurus, minus spirituosus elicitur, quare & sanguinis spirituaſcentia debita deficit.

Cur secretion-
nes Excre-
tiones immi-
nuta & de-
pravata sint.

§. XIV.

Quod secretiones in senibus sint imminuta, diximus, §. etiam proxime præcedenti brevibus, cur id contingat, attigimus. Fit autem istud, quoniam & organa secreto-

cretoria & humores secernendi a naturali sua constitutione defectunt. Omnis enim secretio requirit organi, in quo ipsa fit, legitimam dispositionem, quæ est ut canales, in quos impelluntur fluida, sint sufficienti robore ad humores regendos præditi, sint etiam sufficienter paruli ut humor eos ingredi possit; requirit etiam fluidorum mixturem & consistentiam debitam. Sed in senectute partes omnes tono suo dejiciuntur, ergo & organa secretoria; tubuli & canales minutissimi in toto corpore coeunt obstipantur, occluduntur, ergo & in organis secretoriis; humores, quia tardius moventur & multis impuritatibus contaminantur, etiam a naturali sua schesi defectunt; hinc secretiones per totum corpus imminuuntur. Hæc est causa, cur in senibus liquidi nervei secretio deficiat, cur liquidi subtilissimi seminalis secretio deficiens & sublata potentiam generandi tollat, cur secretio salivæ, succi pancreatici, bilis, imo mucii in intestinis etiam sit impeditior. Excretiones etiam his de causis sufflaminantur. Quoniam enim tubuli & pori in cortice corporis constituti minutissimi angustantur & obturantur, humorem transmittere nequeunt, hinc transpiratio insensibilis depravatur. Alvina excretio tardior est in senibus, quia intestina tono debiliori sunt instructa & quia lymphæ mucosa in intestinorum glandulis secernenda propter obstructos & induratos subtilissimos acinos glandulosos deficit, quæ lubricationi fecum aridarum inservit; hinc etiam excrementa duriora semper conspiciuntur. Ob chylum autem & sanguinem impurum, ob tubulos & canaliculos minutissimos obstructos & angustatos cessat nutritio corporis; hinc habitus corporis exarescit, pinguedo absu-

tur, & corpus macie conficitur. Cum itaque coeuntibus vasculis minimis humorum appulsio abolita sit, cum pinguedine absumpta etiam cesset causa, quæ ipsam cutim in debita distensione contineat: hinc ipsa, cum corpus elasticum sese contrahit, & sic in facie & habitu corporis rugæ producuntur. Somnus vero senum inquietus est, quia ob angustatos & obstructos tubulos ac porulos cerebri subtilissimos lymphæ illa tenuis, roseida, quæ cerebri & nervorum tubulis sese insinuans liquidi nervi influxum aliquo modo languidiorem efficit, & sic somnum producit, secerni adeoque, prædictis porulis sese insinuare nequit. Si vero propter humorum motum lentorem & impeditum sero crassiori, viscidiori meatus, quos jam diximus, obstipantur, somnus est quidem nimius, & affectus soporosi velut æmulus, sed ob impeditam & paucam fluidi illius ætherei, elastici secretionem vires nullum percipiunt augmentum, cum præsertim ipsius etiam sanguinis massa impura & variis sordibus inquinata sit, & impuritas sanguinis virium lapsum semper producat.

§. XV.

Cur actiones, quæ animales dicuntur etiam in senibus deficient.

Cur actiones animales in senibus multum vacillent, id facili negotio, ex iis repetendum venit, quæ de vitalium & naturalium functionum defectu in causali pertractatione dicta sunt. Nam quod ad sensus attinet, ii requirunt membranarum & fibrillarum nervearum, quæ genuina sunt omnium sensationum sedes, debitam tensionem & expansionem, debitam etiam flexibilitatem & fluidi nervi imo sanguinis subtilis sufficientem influxum. Si vero prædictæ hæc membrana, vel nimis relaxantur; vel nimis tenduntur, vel nimis condensantur & indurantur, sensatio

tio quoque in priori & posteriori, casu deperditur, quod etiam accidit, si liquidi nervei, vel sanguinis adæquati influxus sistitur, & prædictæ hæ partes sero mucido & lympha viscosa tenaci imbuuntur; in secundo vero casu ubi scilicet partes nerveæ ultra naturalem tonum expanduntur & distenduntur, sensatio nimis aucta tristis & dolorifica producitur. Ex his præmissis facili negotio cur in senibus sensus depraventur, apparet; fibrillulæ enim nerveæ & indurantur, & a tono dejiuntur, & sanguinis finceri & liquidi subtilissimi influxu orbantur, & materia serosa tenaci obstruuntur, quod pro differentia subjectorum in iis sensus tollit. Nam ubicunque sensus depravati & imminuti observantur, una causarum harum semperprehendetur, quod ex individui cuiusque examine patebit. Motus autem voluntarius in senibus his de causis non est tam facilis & expeditus: dum vires ipsorum vacillant & imminutæ sunt, dum sanguis minus purus & spirituosus in venis alicur, dum ob angustatos & obstructos canales minutissimos & sanguinis & liquidi nervei appulsus intercipitur, dum musculorum fibrillulæ duriores & ad motum cedendum ineptiores redduntur, & partes omnes debito tono orbantur, qui tonus partium musculosarum vitiosus & irregularis in causa etiam est, cur membra tremore in multis corripiantur.

§. XVI.

His pertractatis quæstio exsurgit, cur in senibus decrepitis postremo eveniat, ut actiones etiam illæ, quæ a mente, seu anima rationali in nobis producuntur alterationes subeant & immutentur, ac interdum plane aboleantur, de quo Virgilius in Eclogis inquit: *Omnia fert ætas*

Cur facultates anime etiam in senibus vigore suo orbentur.

animum quoque, & quod causam dedit vulgari proverbio: Senes bis pueri sunt. Jam vero fateor, difficilem videri ad factam hanc quæstionem responcionem cum omnium Philosophorum consensu nec spiritus in corpus, nec corpus vice versa in spiritum agere possit. Hinc alterato corpore, & per ætatis injuriam depravatis ipsius functionibus, ex nulla necessitate animæ functiones imminui quispiam asseret. Verum enim vero attendenda est lex illa & harmonia, quæ ab omnipotenti Creatore in corpore humano stabilita est, dum corpori ad motus cædendos artificiosissime constructo spiritum seu animam rationalem uniret, ut ex hisce nos expediamus difficultatibus. Hac lege sanctum est ut immutatis & depravatis corporis actionibus in ipso etiam spiritu turbæ ac anomalix exoriantur. Eadem legè fit, ut turbato & præter naturam affecto spiritu illico turbæ in corporis actionibus oboriantur. Hoc satis demonstratum dant animi pathemata vitæ & sanitati intensissima; illud maniaci, melan holicæ, vino madidi confirmant. Si vero omnia in corpore fiunt placide & moderate, verbo si corpus sanum est, animi etiam facultates vigent, & legitime exercentur. Contrarium evenit, si actiones corporis a naturali regula deflectunt. Quoniam itaque, quod in superioribus deductum fuit, in senibus circulus sanguinis per totum corpus est languidus & impeditus, non secus in cerebro etiam variis premitur difficultatibus; quoniam etiam impurus & minus spirituosus in ætate decrepita observatur; ad sanitatem vero tam animæ quam corporis circulus sanguinis liber & humores puri blandi requirantur: mirum non est, si in senibus circulus sanguinis propter obstructos tubulos cere-

cerebri subtilissimos sit impeditus, & si præterea adhuc sanguis impurus minus spirituosus animæ facultates impediât & imminuat. Cognovit id suo jam tempore Hippocr. qui Lib. de flatibus §. 20. ait: *Opinor inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem, qui ergo cum inconstanti habitu persistit, consistit etiam prudentia; sanguine vero permutato concidit etiam prudentia.* Idem gravissimus Autor Lib. I. de diætâ inquit: *Si sanum fuerit corpus, & non a morbis perturbetur, animæ quoque temperamentum sapiens existit.* Requiritur vero circulus sanguinis per cerebrum liber & moderatus, sanguis etiam blandus, temperatus, sed spirituosus, quoniam his præsentibus in corpore liquidum illud æthereæ naturæ subtilissimum sufficienti in copia secernitur, quod ad animi functiones legitime obeundas non minus, quam ad vitale negotium est necessarium.

§. XVII.

Vidimus jam incommoda senectutis, quæ ex ætatis vitio corpus variis modis affligunt, & alterant sine causâ ullius morbosæ & præter naturalis concursus; his vero incommodis quidam senem magis, alii minus laborant. Adeoque dubium forte quis movebit, quod non omnes senem istis, quæ ex senectutis vitio in corpus redundare diximus, afflictionibus sint obnoxii; hinc minus verum esse assertum, quod senectutem morbum esse pronunciat. Sed facilis est modus, quo huic objectioni obviam ire possumus. Id equidem ultro largior, non omnes eos, qui in senio constituti sunt, senectutis injuriis ab ipso statim puncto, quo L. annum confecerunt, expositos esse; verum multi valetudine satis fruuntur alacri, etsi LX. annum

Objectione quædam refellitur

num prætergressi fuerint. Ex superioribus autem repertendum censeo, quod senectutem §. 3. in duas distinctas periodos dividerimus. unde parebit etiam, quod prima seu viridis ætas minime his exposita sit injuriis; nam in ea constituti viribus tam animi, quam corporis pollent adhuc; posterior vero decrepita, quæ ad finem usque vitæ numeratur, nunquam his, quæ recensuimus, carebit incommodis. Neque vero hic dubitamus, quin natura robusta & vegeta accedente congruo in rebus non naturalibus usu, senectutis has afflictiones per aliquod tempus a corpore removeere possit, id quod in tertio Tractationis membro, ubi de præsertatione harum afflictionum agitur, apparebit.

§. XVIII.

*Transitus ad
alteram tra-
ctationis
partem.*

*Cur morbos
senum speci-
atim pertra-
ctem.*

His jam absolutis transeundum est ad alteram Dissertationis nostræ partem, in qua consideraturi sumus eas afflictiones, quæ inter morbos senum a medicis referuntur, & præter ea, quæ pertractavimus incommoda, senilem ætatem sæpe graviter divexant. Antequam vero pathologicam pertractationem afflictionum morbosarum, quæ senibus propriæ sunt, & ex corporis functionibus per ætatem vitiatas in senes redundant, aggrediar, e re fore arbitror, ut ostendam, cur morbos speciatim pertractaverim, & ab afflictionibus, quas ætas corpori infert, separaverim. Nam & hæ affectiones tres motuum species, quæ in omni sunt homine alterant & turbant, & in quibusdam etiam subjectis nonnunquam motuum horum exercitium valde impeditum efficiunt, & etiam ex ætatis vitio homines affligunt. Verum his inductus sum rationibus, ut morbos senum seorsim pertractarem quæ hic sequuntur: Illa, quæ supra

supra tradidi, incommoda, in nulla alia ætate, quam in senili reperiuntur, præsertim ita, uti senectutem infestant, unita, vel si in illis accidunt quadam, inter morbos incongruos referuntur, senii vero ordinarii sunt comites; deinde potest præservari senectus a morbis senum ita dictis, ne per totum vitæ spatium ipsis corripatur; nulla vero arte pathemata supra tradita ab ætate decrepita, ne unquam ipsam invadant, possunt abarceri, multi denique senum diem suum obeunt, antequam ulla morborum horum specie laboraverint, secus se res habet cum afflictionibus ex ætatis vitio ætati provec̄ta propriis. Quod vero etiam hi morbi ex ætatis injuria corpori ingenerentur, largior quidem in tantum, quatenus ætas causam mediatam constituit, dum scilicet corpori talis dispositio ingeneratur, quæ concurrentibus aliis etiam circumstantiis, morbos hos producere potest; minime vero ætas causa per se est, quo hi morbi senilia corpora impetant.

§. XIX.

Ad specialem jam morborum pertractationem ubi transeundum est, monemus, nos de iis morbis etiam æturos, qui senectuti viridi sunt infesti, & de istis, qui decrepitan invadunt. Ubi autem id acturi sumus, visum est inquirere primo loco an causæ morborum generales in senibus deprehendantur; nam hoc comperto facili negotio reliquorum morborum genesis venit deducenda. Duæ potissimum causæ morborum generales a medicis statuuntur, quarum altera Plethora, altera Cacoehymia appellatur. Plethora dicitur ea sanguinis abundantia quæ major est, quam ut a vasis sufficienter regi & circumagi

Causa morborum generalis præmittuntur speciatim Plethora.

cumagi possit. Hæc in corpore senili variis de causis producitur. Non omnes enim senum sunt, quorum appetitus est dejectus, verum quidam satis adhuc appetunt. Ubi itaque cibos nutrientes, copiosa gelatina præditos ingerunt, ubi poribus quoque nutrientibus utuntur, ubi motu voluntario corpus non satis exercetur, qui utile valde est auxilium ad humores abundantes consumendos, ubi excretiones tam peripherica, quam sanguinis etiam consuetæ, imminuuntur, nec sanguis per venam educitur facili negotio plethora his conspirantibus causis in senibus producitur, quæ variis morbosis afflictionibus causam ministrat.

§. XX.

*Qui morbi
ex plethora
oriundi se-
nes diuexent.*

Ex Plethora itaque in senili corpore deprehensa quænam morborum species consequantur, videbimus. Membra primum gravitate & lassitudine præmuntur, quæ provenit a sanguine nimio elateri solidorum renitente & adæquatam eorum contractionem impediente. Fit ex hoc, ut multis in locis sanguis stagnet, quod præsertim fit in iis, ubi sanguis ordinario tardius movetur, qualia sunt in abdomine potissimum & speciatim in vasis, quæ ad venam portæ sanguinem revehunt. Nullibi vero facilius id contingit, quam in his, quæ sanguinem ab intestinis præsertim colo & recto per V. P. ad hepar revehunt. Nam vasa hæc venosa perpendicularem legunt ferme viam, dum sanguinem trunco, a quo nascuntur, infundunt, & desunt adminicula, de quibus aliis venis natura prospexit. Si itaque circuitus sanguinis per hepar est impeditior, ut V.P. sanguine se prompte exonerare non possit, stagnat facillime in vena, quæ ex inferiori abdominis & intestinorum regione adductum cruorem ad truncum suum vehit, &
in

in ea, quæ ex liene receptum sanguinem in hepar ducit. Quodsi vero in priori casu sanguis in vena subsistat quasi, & stagnet: tum impedit, quo minus ex arteriis accedens in venam concedere possit, & cum a tergo arteriæ sanguinem adducere non desinant, fit vasorum distensio & dilaceratio, quam denique cruoris sinceri fluxus consequitur, qui contingit in intestino recto & hæmorrhoidalis nominatur. Hic autem in senibus ideo potissimum ut plurimum contingit, quoniam difficilius fere sanguis per viscera movetur, & quia motui voluntario parcunt, quo magis adhuc sanguinis iter per viscera impeditur. Quamdiu autem hic dictus fluxus hæmorrhoidalis legitime fit, insigne est naturæ bene valentis opus, ceu a Solenandro Conf. 20. Sect. 4. tanquam salutare naturæ opus extollitur de quo Julius Cæsar Claudinus Consil. 20. asserit, quod *hæmorrhoides fluentes sint auxilium pro longa sanitate, & a multis morbis præservent*, nam corpus sanguine nimio deplet, & plus quam V.S. in dispositis proficit, dum sanguinem e loco, ubi morbos parare posset, proxime educit. Sed periculosus est hospes, & latet omnino anguis in herba. Si enim subsistit, truculentos spasmos, stagnationes, infarctus viscerum, intestini recti exulcerationes, colicam convulsivam, quæ hæmorrhoidalis dicitur, producit, vel mictum cruentum generat, quod levisissime & sæpissime in senibus contingit, quorum hæmorrhoides anomalis motibus sunt obnoxii, uti morbi ex hæmorrhoidum anomaliis fufius ab Excell. Dn. Alberti sunt recensiti, qui hoc negotium in Tract. de Hæmorrh. pertractavit, & multis observationibus ex Autoribus tam antiquioribus, quam recentioribus collectis comprobavit.

Hæmorrhoidum genesis.

Suppresse hæmorrhoides quid causentur.

*Quomodo
Cacochymia
in senibus
generetur.*

§. XXI.
Plethoram & morbos, qui ex ea corpus adoriuntur, breviter vidimus, nunc opus est, ut Cacochymiaē productionem consideremus. Hujus origo derivatur potissimum ex tribus causis: si vel viscera, per quæ speciatim hic hepar & lienem intelligo, in functionibus suis langueant, & sanguine crasso copioso intarcta sunt, vel quod adhuc pejus plane indurata, scirrhusa; vel si digestionis vitium variis mucidis sordibus chylum inquinat; vel si secretiones utilium ab inutilibus, & horum excretionibus languent. At vero in senili corpore secretiones cum excretionibus impeditas & digestionem vitiosam esse, supra tradidimus; in senili corpore circulum sanguinis per viscera & abdomen ordinario languere, & attenta observatio, & sana ratio abunde docet, quin ipsa nimia sanguinis in corpore copia cacochymiaē causa sæpe fit. Non vero solum in vasis vitiosos humores alunt senes, verum in prima etiam regione, quæ ciborum solutioni & digestioni dicata est, variæ sordes mucidæ, biliosæ, acidæ stabulantur, quæ omnes ex eo, quod digestio in senibus est impedita & difficilis, in corpore generantur.

Morbi ex cacochymia oriundi.

§. XXII.
His vero de causis, quod impuri humores in venis & prima regione stabulantur, variis senum morbi resultant. Quodsi enim vitiatas sic humoribus & impuritatibus salino biliosis & tartareis inquinatis accedat ulterior perspirationis suppressio, quod variis de causis contingere solet, & facillime si sola aura frigidiuscula ad corpus admittatur; tum subito ferossæ defluxiones partes infestant, & rheumatismorum parata est genesis; huic enim causa nata-

natales debent coryza, gravedines, odontalgia quoque
sapius, imo non raro tusses, raucedines & catarrhi. Si
in articularum partes nerveas & sensibiles vitiosum impu-
rum serum delabatur, articularum dolores oriuntur; si
vero ad ductus urinarios renes & vesicam feri tartarei,
impuri teceffio fiat, varii producuntur spasmi, si enim
urethram & sphincterem, imo ipsius vesicae membranas
valde sensibiles, salinae acres haec partes laceffent oriuntur
inanes sed dolorifici ad mingendum stimuli, stranguria,
imo vesicae saepe arrosiones, quod ex moleculis urinae in-
star surfuris innatantibus comparet. Si vero materia tar-
tarea crassior, cum mucidis partibus in vesica combine-
tur, excluditur calculus. Quando autem perspiratione
impedita salini acres humores in corpore accumulati ad
intestinatorum devolvuntur compagem, & in ipsis intesti-
nis continentur impuritates & inquinamenta varia, tum
spasmodicae intestinatorum affectiones, diarrhoea, licentia &
passiones coeliacae proveniunt. Huic impuritati sangui-
nis insigni debentur etiam pruritus cutis, exulcerationes
& difficiles partium laesarum consolidationes. In oculis
vitiosi acres humores producunt lippitudines & graves al-
ios oculorum morbos. Hos morbos totidem fere verbis
recenset Hip. aph. Sect. III. *Senibus autem inquit talia
contingunt: Spirandi difficultates, & defluxiones cum tussi,
urinae stillicidia, urinae difficultates, articularum dolores,
nephritides, vertigines, siderationes, mali habitus, pruri-
tus totius corporis, vigiliae, alvi, oculorum & narium hu-
miditates, visus hebetudines, glaucedines, auditus gravi-
tates.* Et Celsus Lib. II. Cap. I. ita habet. *In senectute
spiritus & urinae difficultas, gravedo, articularum & re-*

num dolores, nervorum resolutiones, malus corporis habitus cachexiam græce appellant, nocturnæ vigiliæ, vitia longiora aurium, præcipueque soluta alvus, & quæ sequuntur hanc formina, vel levitas intestinorum, cæteraque fusi ventris mala.

§. XXIII.

Mortis ex
atatis vitio
generatio

Si vero in crescentibus ulterius successu temporis sanguinis impuritatibus & coeuntibus vasculis minimis vires deficiunt, imo plane prosteruntur, dum causæ a quibus fiunt, evertuntur, sanguinis motus qui antea fuerat tardus & impeditus jam evadit debilis & languidus. Et quia ad habitum corporis non satis propelli potest, ad vasa majora & nobiliora fertur, propulsus vero ex his nullibi difficillius, quam per abdominis viscera movetur, in quibus etiam tandem plane stagnat & in liene ut plurimum subsistens impedit, quo minus is, quem vasa breviora ex ventriculo recipiunt, ad lienem ferri possit; dum vero in ventriculi tunicis impactus manet sanguis, abit in sphaerosam corruptionem, in liene vero pariter producit putredinem, hinc fit, ut, si senio confectos post mortem intueamur, lien ita corruptus sit, ut digitis dirimi & perforari possit. Hæc est causa mortis reperiunda in omnibus, qui ob protractam valde ætatem moriuntur, & mortis venturæ nunciatus est appetitus & virium plenarius lapsus. Si vero viscera ante minus salva in senibus in corruptionem ulcerosam fatiscant, exoritur febris hectica, quæ hac in ætate aliud nomen accipit, & marasmus senilis appellatur.

& marasmi.

§. XXIV.

§. XXIV.

Cum autem tractatio nostra Medica sit: non sufficit nosse tantummodo afflictiones, quæ senibus ex natura corporis mutata, & per senium alterata sunt infectæ, non sufficit etiam nosse morbos, qui ex hac dispositione in corpus irruunt; verum opus est ut medice tractaturi medicam subjungamus considerationem. Et quia curam unius cujusque affectus, de quibus hic sermonem instituumus, tradere est opus, quod Dissertationis limites longe excedit: satis facturum me titulo tractationi huic præfixo reor, si ex fonte diætetico consilia & auxilia depromam, quæ omnes senum afflictiones abigere per aliquod tempus possunt, & a morte, si non præservant, præservant tamen a tempeſtiva & immatura. Sed putabit quispian frustra hæc ad vitam incolumem magis & longiorem tradi adinivula, cum secundum Tralliani effatum, quod Lib. XII. de marasmo habet. *Senium nulla medicina tolli possit*, quam in rem erudite Cel. Verulamius loco supra citato ita differit: *Hæc intestina illa calamitas, quam nulla ars, nulla humana industria effugere, imo ne reprimere quidem possit. Etenim si cui ab ortu temperato vel ipse Aesculapius præsit, qui illum ab iis, quæ foris sunt, aut quæ intro sumuntur, salvum & incolumem sic tueatur, ut nullum corpus inde derimentum capiat, is tamen a semet ipso, suaque sponte magis conficietur, consumeturque donec extremum vitæ spiritum edat.* Verum enimvero dicitur id sana ratio, & attenta indies confirmat experientia, quod ii, qui naturam nacti sunt robustam nec violento velut modo per varios in rebus non naturalibus excessus eas prostraverunt, diutius vivant præ iis, qui corpore sunt valde

An possit senectus ab ægritudine præservari.

valde debiles; eadem docet experientia debili etiam constitutione præditos, si diætericis præceptis obtemperent, diutius vivere, quam si robusti quidem fuerint, sed nimium viribus fidendo per abusus, in diæta victusque regimine insignes corpus debile reddiderint. Rationi quam optime consentaneum est, in tempore remotis impeditis sanitatem ulterius conservari posse, quam si nihil sit, quod morborum generationem impediatur, nec novum forte in medicina dogma est, quod præcipit, ut defectus naturæ ars suppleat. Ex his itaque præmissis concludimus non inutile opus suscepturos nos esse, si remedia profectute incolumi ducenda & morbis a corpore proteolandis suppeditemus.

§. XXV.

Si itaque in artis potestate situm est, ut præservet corpus per aliquod tempus a senectutis incommodis, & a morbis, qui ex senum dispositione ipsis insulant: videndum merito est, quibus auxiliis impetrare id possimus. Naturæ humanæ sapientissimus artifex nobis, quid sequendum sit præscripsit, dum machinam nostram ita coordinavit, ut circulus sanguinis præservet corpus ab omnibus agritudinibus, & in sanitate, si liber & æqualis per totum corpus fuerit, conservet. Ex hoc itaque fonte depromemus omnia consilia & auxilia, quæ in præsentiarum præscribentur. Primum quippe præceptum diætericum nostrum erit, ut circulum sanguinis per totum corpus liberum & æquabilem præstemus; alterum quod ex hoc legitime constituto necessario consequitur, est secretionum & excretionum incolumitas; tertium est novorum humorum sed congruorum in corpore generatio.

§. XXVI.

*Tres regule,
quæ corpus
sanum con-
servant.*

§. XXVI.

Qua ratione motus sanguinis circularis per corpus univcrsum saluus & incolumis fit conservandus, res est dictu facillima, sed ubi præstandum est & in corpore sanguinis iter liberum & æquabile reddendum, pluribus obruta difficultatibus. Manet quippe sanguis in legitimo & naturali suo motu, si solidorum motus est moderatus & temperatus; si vaseula & ductuli minimi sunt aperti, ut humorem appulsum recipere possint, si solidorum robur est par movendo sanguini, & si humores adæquatam habent consistentiam, spirituaſcentiam & si copia nec excedunt, nec deficiunt. Si vigeť circulus sanguinis, valent etiam omnes functiones in corpore, ergo & se-ac excretiones. Si autem tam circuitus sanguinis, quam se- & excretiones per totum corpus legitime fiunt; necessario humores consumuntur, & alienam indolem induunt; quare necesse est, ut ad sanitatem & vitam conservandam novi humores corpori ingenerentur blandi ac temperati, & partibus spirituosis sufficienter instructi. Non meliori igitur via procedere me posse arbitror, quam, ut tritam *In dieta se-* illam sex rerum non-naturalium classẽ pertractando, *num ordi-* quid ex his senibus profit, vel noceat, ostendam. Si e- *nanda sex res* nim harum observatio sit accurata, tria supra tradita sani- *n. n. pertra-* tatis conservandæ fundamenta vigeť, & corpus in sano *Etantur.* statu conservant.

§. XXVII.

Hoc ordine acturis primo loco sese offert *Aër.* Est *Qualis aër* iste vitæ illud pabulum, quo intercepto tollitur respiratio, *senibus con-* & vita cessat. Non sufficit vero tantum, ut senes aëre *ducat.* libero gaudeant, verum, cum ipse aër variis mutationibus sit obnoxius, quas illico in corpus nostrum transfert,

E

e re

e re est videre, quinam aer pro lenum sanitate sit potissimum commendandus. Aer purus, serenus temperatus est insigne ad incolumitatem imo ad longevitatem auxilium; quamobrem in senibus etiam hauriendus est. Nam aer, qui multis impuris exhalationibus inquinatus est, promptam morborum causam suppeditat. Testantur de aeris salubritate loca montosa, elatiora, in quibus aer purior & serenior, temperatus tamen hauritur, horum incolae multo vegetiores & alacriores observantur, quam ubi paludes & stagna reperiuntur. Eligendus etiam est aer temperatus, nec minus frigidus, neque vero excessive calidus; nam ille impeditam transpirationem magis adhuc sufflammat; hic vero nimias ebullitiones in sanguine excitar, viribusque est inimicus. Moderate autem calidus pororum apertioni, & perspirationis successui multum velificatur. Hac de causa Celsus Lib. II. Cap. I. *Senes aestate optime valere, & quod hyems ipsis inimicior sit* pronunciat, quoniam in illa excretio cuticularis promovetur, in hac supprimitur. Conclavia etiam habitanda senibus aere sereno & temperato, quoad fieri potest, sint referta, & contra aeris vicissitudines corpus probe vestimentis contegendum. Inimicus vero omnibus aetatibus, sed praesertim senili est impurus, tetricus, vappidus exhalationibus inquinatus aer, nimis frigidus, vel aestuosus, nebulosus, pluviosus, inimica etiam subita aeris mutationes.

§. XXVIII.

*Quae circa
cibum tenenda
sunt.*

De cibo & potu haec tenenda sunt. Alimenta semper exigunt exquisitam ad vires stomachi imo totius corporis relationem tam ratione copiae, quam substantiae. Cum igitur in senectute viridi constituti satis adhuc viribus valeant, tum non opus habent, ut tam stricte legibus dieteticis

ticis hoc in genere se adstringant; suadenda tamen magis est mediocritas. Senes vero decrepiti, natura debilioris accuratiori diætæ ratione utantur oportet. In genere autem cibi mollioris & ad solvendum aptioris substantiæ sunt præferendi durioribus, viscidioribus, compactioribus. Consulimus itaque ex animantibus junioribus de promitas carnes, juscula, gelatinas, item ova sed forbilia, ex lacte parata juscula, sed ne adsit acidum in ventriculo copiosum. Ex fluviatilibus pisces, quorum carnes sunt duriores, nec in mucosam pulvem desciscunt, & qui in fluviis, non vero stagnis vivunt, cancos etiam fluviatiles, sed ne ventriculus nimium sit debilis & impuritatibus obsessus suademus. Ex vegetabilibus conducunt, quæ oleum subtile in se recondunt, qualia sunt semina, sed remotis, quæ una cum oleo multum viscosi crassioris principii in se continent. Ex oleribus & fructibus, quæ facile coctioni obtemperant & vim lenem medicam habent, laudantur, sunt talia; herba & radix petrofelini, siferis, nasturtii species, acetosa, passula, pruna &c. Carnes vero infumata & salita non nimis sunt re formidanda, si ventriculus adhuc officio suo fungitur, & si assuetum iis sit subjectum, sed non peccent copia, nec frequentius ingerantur. Generalis enim est regula, & senibus quam maxime observanda quam ex Celso didicimus: Lib. I. Cap. II. *ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas.* In aluntione etiam alimentorum hic ordo tenendus est, quod in prandio durioris substantiæ alimenta, major etiam portio ingeri possit; in cœna autem juscula & mollioris substantiæ parciori in copia, sic ventriculo & digestionem magis consultur, sic somnus etiam est placidior. Ab his autem alimentis senes ablineant, quæ n ultas in primis viis relinquunt cruditates, quæ agrius solvuntur, & ventericulum gravant, quæ

in status facile explicantur, quæ facile fermentant, & alvi obstructionem promte inducunt. Sunt talia: carnes induratae, pisces præsertim marini exsiccati; farinacea, pisa, lentes, fabæ, legumina crassiora; mellita, sacharata, fructus horræi, melones, cucumer. s; fructus adstringentes; mala cydonia, & cætera ex vegetabilum familia austero vel acerbo sapore prædita. Aromata vero & quæ cum alimentis misceri solent ad ventriculum roborandum & stimulandum ut sunt: Zedoaria, r. armoraciz, porrorum & alii species in convenienti proportione, nec nimis frequenter assumpta usum habent insignissimum.

§. XXIX.

*Quid circa
potulenta ob-
servandum.*

Inter potulenta ea sunt saluberrima, quæ puriora sunt & leviora. Laudem itaque præ omnibus meretur aqua simplex, sed pura, levis, & subtilis. Nam præbet menstruum subtilissimum, quod poros ciborum penetrat, ac intime recludit, & chyli boni generationi valde velificatur. Est præterea potus, qui cum omnibus alimentis sumi potest, ac semper innoxius; nec solum diætetice usurpari potest, verum medicinam etiam præbet valde efficacem, ubi obstructi canales expediendi sunt, & fluiditas sanguini concilianda, quod pro more suo solide evictum dedit Illustris ac Cel. Dn Fr. Hoffmannus in Dissertat. de aqua medicina universali. Si vero ventriculi debilitati consulendum, egregie juvat eam cum vini adulti, generosi parte dimidia, vel tertia miscere atque sic in usum ducere. Ex cerevisiis subtiliores eligimus, rejectis valde lupularis, crassis & nimis pinguibus, item quæ flatulentias causantur. Vinum vero lac senum dictum ita usurpandum, ut vires tringat, non autem in tanta copia, ut

ut eas prosternat. Præstat medicamento loco eo uti, in moderata proportione, ita enim chylō spirituaescentiā ingenerat, ventriculum firmat, & C.S. promovet. Eligenda autem sunt ea, quæ magis sunt adulta, generosa, pura & spirituosā; rejicimus ignobiliora, recentia, quæ acida sunt, & multum terræ calcææ in sinu recondunt. Quod ad potus reliquos spirituosos & spiritus ardentēs attinet, eorū usum plane improbamus, nisi in vini defectu quando cibi duriores, compactiores ventriculum gravant, ad digestionem facilitandam, sed ingesto prius potu tenui sufficienti, assumantur. Nam viscerum indurationes & infarctus producunt. Potus Thèe & Cofee in se non nocent, imo, quod priorem præsertim attinet prodest, saltem cavendum ne nimium sint saturati, nec saccharo nimium edulcorati. Succolada autem cum lacte cocta plus nocet, quam prodest; cum aqua vero cocta additis congruis aromaribus magis prodest, cum vino frustra coquitur, nam sub coctione partes spirituosæ avolant, præstat igitur post coctionem cum aqua tantillum vini generosi addere.

ibid 2, in d. ibid 100 §. XXX.

Tertio loco circa motum & quietem pauca præscribenda sunt. Motus nimius nocet, nocet etiam quies nimia; quare moderamen hic quam maxime suademus. Ea autem motus species eligenda est, quæ corpori pro sui constitutione maxime est conveniens, ut debilibus debiliorem, valentioribus autem fortiorem motum præcipiamus. Ex omnibus speciebus vecturam & equitationem, utpote sub qua sanguini iter facilius per partes abdominis conciliatur. Deambulatio etiam in plano ad

Motus
quietis con-
sideratio.

moderatam usque diapnoen instituta multum prodest; neque minus lectio vel locutio voce altiori facta juvat, quam Hippocr. a cœna si instituat, multum laudat in Lib III. de diæta inquiens: *vocis exercitatio a cœna valde commoda est.* De omnibus motuum speciebus tenendum, quod sub aere sereno & temperato sint instituta, & digestionem absoluta ac ventriculo vacuo. Multum etiam juvat post motum absolutum infusum calidum sorbillare, sic enim perspiratio augetur, sanguis magis diluitur; unde e re erit ex herbis diaphor. & resolv. cum roborant. junctis ea concinnare, v. gr. herb. veron. beton. meliss. cort. citr. aurant. Ubi vero virium debilitas motum non permittit, insignis utilitatis sunt frictions cum pannis calidis instituta, præsertim in conclavi temperate calido; hoc pacto enim intenditur motus sanguinis & excretioni cuticulari consulitur.

§. XXXI.

Circa somnum & vigiliam qua tenenda sint, expono.

Somni & vigiliarum ratio habenda est ita, ut hoc in passu quoque mediocritas observetur. In somno modus tenendus est iste, ut nec nimius sit, nec nimis brevis. Non vero certo horarum spatium hic senes alligamus, verum tamdiu dormiendum ipsis esse censemus, donec nulla in somnum ulterior sit propensio. Et si corpus post somnum levius sit factum, viresque recollectæ, finiendus est; si vero adhuc caput torpet, & membra gravia sunt, plus somno indulgendum censemus, id saltem monemus, ne nimius sit, nam sic etiam capiti temulentia, & membris gravativus sensus inducitur. Deinde, quoad fieri potest, jubemus, ut somnus capiatur in conclavi satis spatioso & aere puro imburo, & corpus stragu-

stragulis bene muniatur; sic enim salutaris sæpe fit diapnoe, quæ post absolutum somnum non est intercipienda; verum infuso calido promovenda, & corpus in lecto detinendum, usque dum mador remiserit. Somnus meridianus utilis etiam est, præsertim si is de nocte fuerit interruptus, & corpus agilius reddat. Vigiliæ præcepto novo opus non habent; nam ingruente somno finiendas censemus; nec in longius tempus protrahendæ sunt, damnum enim in corpus inferunt.

§. XXXII.

Excreta autem & *retenta* ita se habeant, ut illa his sint æqualia. Retenta vero sint blanda, dulcia, & temperata verbo naturali crasi prædita. Excretionum autem præprimis tres species sunt custodiendæ; ea, quæ per cutim, alvum, & urinam fit. Illa, si corpus ab aera frigidi-
 oris accessu muniatur, viget; per motum vero convenientem, infusa calida, & sæpe sub somno corpore probe recto intenditur; ista sub intestinorum robore salvo, ciborum congruorum ingestione, & sufficienti potu legitime se habet; per cibos vero lenientes, stimulantés leniter etiam excitatur; hæc motu & potu sufficienti etiam salva est. Præprimis vero alvina officii sui solet oblivisci, quod morbi venturi est indicium; quare laborandum est, ut ea quantocius in ordinem redigatur, per iuscula pinguia, gelatinosa, prunata, & passulata. Nam curandum est semper, ut semel minimum intra diei spatium alvus officio suo fungatur. Reliquæ excretionés, quæ periodice fieri solent, & præprimis sanguineæ etiam custodiendæ, & præsertim circa id tempus, quo fieri consueverunt, accurata in victus vitæque regimine tenenda est diata,

*Excretionés
 quomodo cu-
 randæ, &
 quæ retento-
 rum sit con-
 ditio.*

diata, & si segnius fluant, moderate sunt excitandæ. Si vero demum cessent, sed nimia in venis alatur sanguinis copia: artificialis excretio per Venæsectionem in talo tentanda, quod in iis etiam jubeo, qui spontaneas sanguinis evacuationes non habent; sed circa consuetum tempus rejterandæ sunt, nisi virium immincat defectus. In quibus certis temporibus coryzæ, sudores, diarrhœa fieri solent, iis etiam accuratum regimen præcipio in sex rebus non-naturalibus, neque vero hæ excretiones supprimendæ sunt; verum potius studendum, ut quod ad diarrhœas, coryzas attinet, eæ purgato corpore avertantur.

§. XXXIII.

*Animi quies
conservat,
motus de-
struit sanita-
tem.*

Ad vitam incolumem ducendam multum valent animi tranquillitas & quies; quantum enim motus corporis valetudini inservit, tantum animi quies sanitati etiam conducit. Studendum itaque ut animus sit pacificus, lætus, decora voluptate perfusus & in quiete compositus. Contra omnes immoderati animi affectus sanitatem violento velut modo convellunt; sunt ex horum censu mœror diuturnus & angor; terror, ira, invidia &c. Imprimis vero senibus autor sum, ut a venere sibi caveant; nam vires hoc pacto prosternuntur & mors, quæ diu prorelari adhuc potuisset, subito acceleratur.

§. XXXIV.

*Ex medicam-
entis hæc
senibus pro-
ficiunt.*

Ex medicamentorum penu pro senum valetudine tuenda & conservanda hæc laudo, quæ digestionis succurrunt; excretiones promovent; obstructions reserant; sanguinem depurant, nimium imminuunt; & in decrepitis vires custodiunt. Ad digestionem juvandam nec
non

non chylum depurandum & spirituosus paribus imbuen-
dum præ omnibus laudem merentur amara cum aroma-
tibus ventriculo amicis nupta. Instar omnium esse pot-
est Elixir stomachicum Illustr. & laude mea majoris Dn.
Fr. Hoffmanni, vel ad ejus exemplar compositum cum
menstruo vero alcalino potius, quam spirituosum extra-
ctum, ex Extr. cent. minor. C. calcar. pimpin. alb. ca-
lam. arom. r. ani ana unc. j. cardam. cinnam. cort. aur.
rec. succin. ana drachm. vj. croc. orient. drachm. iij.
Extrah. l. a. multo præstantiores vires acquirit, si cum spir.
sal. dulc. nuptum propinetur. Excretionem promovent
& speciatim transpirationem infusa herbarum calida,
quale est quod §. XXX. laudavimus; vel quod actui et-
iam cum cinnam. card. bened. & scord. parte potest, ne-
que pro pectoris impuritatibus falsis emolliendis & in-
volvendis inutile erit Rad. glyzirrh. & anis. stell. addere
Ea vero quæ per urinam & alvum fit exercitio, optime
aquis mineralibus temperatis, intenditur, quales sunt Sel-
terana, imo si vires adsunt, Carolina etiam, præter virtu-
tem enim alvum & urinam moventem, obstructions res-
sistant, corpus depurant, & digestionem etiam juvant, si
scilicet sub debito regimine usurpentur. Salubriorem
virtutem acquirunt hi fontes, si cum sero lactis dulci,
vel insignius cum lacte asinino miscentur; non tamen
laude sua defraudamus pilul. balsam. infusa mannat. c.
rhab. &c. Sanguinis quantitatem optime V. S. pruden-
ter instituta imminuit; quod divinum est pro vita pro-
longanda remedium; sed cautione opus est. Vires la-
bascens erigit. Balf. vit. Illustr. Fr. Hoffmanni sacharo si
insillentur aliquot gutt. vel etiam in Elaosacharum re-
digan-

digantur, aut liquor analepticus, quem pro senibus compositum exhibet Illustris & Celeberrimus Dn. Frid. Hoffmannus in Diss. de valetudine senum tuenda. Sed non pauci sunt, qui usum aquarum mineralium contemnunt, & multi lactis asinini usum derident. Verum ut iis obviam eamus brevibus affirmo, quod vel in doctorum remediorum principia non inquisiverint; vel experientia, quid præstantissima hæc simplicia possint, destituti sint. Quantum autem ad aquarum medicinalium usum attinet, de iis longe minor jam est controversia, & lites ferme obmutuerunt, ex quo Celeberrimus Dn. Frid. Hoffmannus per diversa cum dictis his fontibus instituta experimenta a priori docuit, quam salutaria contineant principia, qualia in nullo summa etiam arte composito medicamento pharmaceutico sunt unita, ad humores diluendos, depurandos, obstructions & infarctus expediendos, excretiones facilitandas, partes roborandas; & ex quo frequentissima praxis & felix confirmavit cum summo plurimorum agrotantium levamine, dum congruo & prudenti aquarum harum usu contumaces & rebelles chronici morbi sunt expugnati, quam divinum in his fontibus tam calidis & frigidis lateat auxilium. Quod ad lactis asinini usum attinet, illius etiam ingredientia saluberrima Idem Clariss. Autor in Dissertatione de mirabili lactis asinini in medendo usu pro more suo erudite exposuit, & quantum humoribus acribus, salis depurandis convenient, & ad vires erigendas demonstravit. Si ab experientia petatur testimonium, instar omnium esse poterit insignis locus, quem sæpe laudatus Vir in System. Med. Tom. III. Sect. II. Cap. VIII. de Specif.

Specif. §. XXIV. recenset ex Patini Epist. Tom. II. neque defunctae observationes satis celebres & insignes de mira ad sanitatem tuendam & morbos curandos lactis hujus efficacia. Neque vero credendum est, ac si dicta haec remedia absolutam habeant vim & potentiam sanitatem conservandi vel restituendi, discrimine enim opus est, & attendenda corporis constitutio, & viscerum conditio, temporis etiam habenda est ratio, & preparandum corpus ad horum usum, si salutaris expectandus sit finis. Quod si enim in corpore viscera jam sint corrupta, vires ferendis aquis impares, & stomachus nimium enervatus, plus detrimenti accipitur ex horum usu, tanquam abest, ut salutaris attendatur eventus. Sed nemo hinc culpam in dicta haec auxilia conjiciet, cum corporis conditio, & minus accurata indicationum dijudicatio hunc errorem pepererint.

§. XXXV.

Cum autem in superiori §o. mentionem injecerimus medicamentorum quorundam, quae viribus labalcentibus sint auxilio, atque eas sustentent, non possumus non monere, ne eorum usus sit frequens nimis ac reiteratus; neque etiam largus; verum ita hoc medicamento utendum, ne astum nimium augendo vires depauperetur potius, quam augeat. Idem de omnibus aliis confortantibus, & cordialibus tenendum. Hic vero taxandum etiam non immerito quorundam pessimum moram censo, quibus praesertim si aetate adultiores fuerint, in usu est, ut superingerant semper absoluto cibo porum aquae cujusdam ita dictae vitæ, qua roborari stomachum, & vires incrementum percipiunt. Nonnullis vero placet jejuno

*Monitum
quoddam necessarium.*

ventriculo eas haurire pessimo etiam ausu. Nam cum per digestionem succus lactiformis ex alimentis sit extrahendus, qui etiam cum lacte maxime convenit; omne autem lac affuso spir. vini, ex quo prædictæ aquæ parantur, in coagululum abeat: hinc iudicatu facile est, quam noxius ad sanitatem sit hic potus. Quare non possum non ab ejus usu frequenti & repetito dehortari, nisi forte sub ea, quam superius tradidimus conditione. Non enim opus his auxiliis habet, qui rerum non-naturalium usum ita, ut præscriptum est, dirigit, atque a nimis lucubrationibus, mentis fatigationibus & sollicitudine sibi cavet.

§. XXXVI.

Dicta hæc consilia & auxilia insigni gaudent virtute ad sanitatem conservandam & vitam prolongandam. Sed opus est, ut in tempore iis utamur, nec in annis valentioribus senectutis præsidia consumi debent, necque vero tamdiu ab horum usu desistendum, usque dum dicta in corpore se sistant incommoda; nam præservationem non curam promittimus. Hæc qui attente considerabit, is efficiet, quo in longam annorum seriem vitæ suæ protrahatur.

F I N I S.



NOBI.

NOBILISSIMO
ATQVE
PRÆCLARE DOCTO
DN. HVTTER
FR. HOFFMANNVS.

Multos pluries laudavimus, sed nulli
libentius hoc officii genus præsta-
mus, præterquam iis, quorum in-
genia & quorum profectus nobis satis sunt cogniti
atque explorati. Ex quorum numero, Te, No-
bilissime Candidate! esse, ego non possum non
asseverare. Quatuor jam effluxere anni, ex quo
Tu, jactis jam probe in patria, sanioris Philoso-
phie & potissimum illius qua in dijudicanda veri-
tate utimur, fundamentis, ad Academiam ac-
cessisti nostram, studio Medico addiscendo strenu-

am operam navaturus. Neque vero, ut hodie
in more positum est, statim ad morbos curandos,
ad formulas præscribendas, ad egrotos visitan-
dos, animum applicuisti, sed prius eas discipli-
nas, quæ ad solidam, ad securam, atque ratio-
nalem excolendam artem aditum parant compre-
hendisti. Etenim primo omnium fabricam corpo-
ris humani, longe sapientissime in vitales edendos
motus constructam, per solertiolem anatomen in-
vestigandam, Tibi sumfisti. Dein etiam inde-
fesso studio per ingentem experimentorum physico-
rum & chymicorum & mechanicorum apparatus,
& sedulam inde factam considerationem, rerum,
quibus quotidie ad vitam indigemus, & quæ ma-
china nostra motus vel in pejorem vel in meliorem
statum convertendi facultate pollent, vires, effe-
ctus & potentias paulo curatius intueri & perspi-
cere allaborasti. Inde factum est, ut per physico-
mechanicam philosophandi methodum, quæ unice
ad perficiendam nostram artem vera & utilis est,
eo progressus fueris ut difficillima etiam in corpore
huma-


humano occurrentia phaenomena explicare feliciter
potueris. Cujus rei luculento testimonio esse pot-
est eruditissima a Te conscripta dissertatio: qua
intricatissimam illam materiam, de absoluta mori-
endi necessitate, nunquam satis antea clare expo-
sitam, pertractasti; atque causas, cur homo etiam
temperanter & secundum omnes regulas dieteti-
cas exquisite vivens mori debeat, ex fabrica cor-
poris humani mutati, fibrarum videlicet, diutur-
nitate temporis, rigiditate, imminuta vi elastica,
canalium minimorum angustia & obturatione dilu-
cide & solide deduxisti. Qualis demonstratio o-
mnibus iis, qui obscuris ex parte etiam absurdis
& ad rem medicam explicandam sterilibus & ina-
nibus terminis atque hypothefibus imbuti sunt,
prorsus negata est. Et uti omnis veritatis chara-
cter in eo consistit, ut sit frugifera, id est, aliae ve-
ritates ignotae exinde possint detegi: ita etiam ex
hac demonstratione plures utilissima veritates de-
promi possunt, & primo, quod arcanum vitae pro-
ducenda quam maxime in eo consistat, ut flexilitas fibra-

MACI
MEDI
ORIS
fibrarum & sanguinis ac reliquorum humorum ju-
sta tenuitas, per victum tenuem, parcum, per mo-
deratum corporis exercitium per salutare excre-
tiones, moderate administratas, conservetur: nam
certe ego nunquam luxuriosum & ignavum, nisi
ferrei roboris a natura habuerit machinam, longæ-
vum vidi; sed quibuscunque vita longa & dolore
vacua fuit, ii abstemii fuere, macro victu & mo-
derato corporis exercitio usi sunt. Nihil jam re-
liquum est, quam ut ex merito Tuis Doctissime
Vir! studiis ac profectibus probe maturatis publi-
ce applaudam, atque inde & patriæ & publicæ rei
multa bona & auspicata prolixè pollicear. DEVS
ûlteriori gratia ausus & successus Tuos prosperet
ita ut fortuna meritis Tuis respondeat, & conser-
vatrix generis humani Mediclna a Te non levia
sed ampliora tandem incrementa
percipiat.









DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QVA

SENECTVS

IPSA MORBVS

AVSPICE SVMMO NUMINE
EX CONSENSV ATQVE AVTORITATE
GRATIOSE FACVLTATIS MEDICÆ

IN

ALMA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGII MORE MAIORVM
RITE CAPESSENDIS

H. L. Q. C.

D. *Majj MDCCXXXII.*
SISTITVR

QVAM

PLACIDÆ ERVDITORVM VENTILATIONI
SVBIICIT

JACOBVS HVTTER,
CIBINIO-TRANSILVANVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IO, CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.